

Idc 14, 1–20

1 descendit igitur Samson in Thamnatha vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthim
2 ascendit et nuntiavit patri suo et matri dicens vidi mulierem in Thamnatha de filiabus
Philisthinorum quam quaeso ut mihi accipiatis uxorem
3 cui dixerunt pater et mater sua numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum et in omni
populo meo quia vis accipere uxorem de Philisthim qui incircumcisi sunt dixitque Samson ad
patrem suum hanc mihi accipe quia placuit oculis meis
4 parentes autem eius nesciebant quod res a Domino fieret et quaereret occasionem contra
Philisthim eo enim tempore Philisthim dominabantur Israheli
5 descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha cumque venissent ad vineas
oppidi apparuit catulus leonis saevus rugiens et occurrit ei
6 inruit autem spiritus Domini in Samson et dilaceravit leonem quasi hedum in frusta
concerperet nihil omnino habens in manu et hoc patri et matri noluit indicare
7 descenditque et locutus est mulieri quae placuerat oculis eius
8 et post aliquot dies revertens ut acciperet eam declinavit ut videret cadaver leonis et ecce
examen apium in ore leonis erat ac favus mellis
9 quem cum sumpsisset in manibus comedebat in via veniensque ad patrem suum et matrem
dedit eis partem qui et ipsi comederunt nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore
leonis adsumpserat
10 descendit itaque pater eius ad mulierem et fecit filio suo Samson convivium sic enim
iuvenes facere consueverant
11 cum igitur cives loci vidissent eum dederunt ei sodales triginta qui essent cum eo
12 quibus locutus est Samson proponam vobis problema quod si solveritis mihi intra septem
dies convivii dabo vobis triginta sindones et totidem tunicas
13 sin autem non potueritis solvere vos dabitur mihi triginta sindones et eiusdem numeri
tunicas qui responderunt ei propone problema ut audiamus
14 dixitque eis de comedente exivit cibus et de forte est egressa dulcedo nec potuerunt per tres
dies propositionem solvere
15 cumque adesset dies septimus dixerunt ad uxorem Samson blandire viro tuo et suade ei ut
indicet tibi quid significet problema quod si facere nolueris incendimus et te et domum patris
tui an idcirco nos vocastis ad nuptias ut spoliaretis
16 quae fundebat apud Samson lacrimas et querebatur dicens odisti me et non diligis idcirco
problema quod proposuisti filiis populi mei non vis mihi exponere at ille respondit patri meo
et matri nolui dicere et tibi indicare potero
17 septem igitur diebus convivii flebat apud eum tandemque die septimo cum ei molesta esset
exposuit quae statim indicavit civibus suis
18 et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum quid dulcius melle et quid leone fortius
qui ait ad eos si non arassetis in vitula mea non invenissetis propositionem meam
19 inruit itaque in eo spiritus Domini descenditque Ascalonem et percussit ibi triginta viros
quorum ablatas vestes dedit his qui problema solverant iratusque nimis ascendit in domum
patris sui
20 uxor autem eius accepit maritum unum de amicis eius et pronubis